AUGUSTINUS. SALADINUS
Klosterneuburg, 3. Viertel 12. Jh. Seite 100r
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=387
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



miles ille fidelissimus atque fortissimus apostolus paulus offenderet. suis
stipendiis militauit. et ubi forte defuit sumptus necessarius. alias in
quit ecclesias expoliaui accipiens ab eis stipendium ad uram ministra
cionem. Quanto ergo magis ecclesie prouinciales secularibus negotiis obliga
ti. cottidianam debent habere penitenciam. qui quamuis a furtis ara
pinis. a fraudibus ab adulteriis et fornicationibus omnique luxuria ac
crudelitate odiorum et inimicitiarum pertinacia. ab omni denique ydolatrie
feditate. spectaculorum nugacitate. heresum atque scismatum impia ua
nitate. atque ab omnibus huiuscemodi flagitiis et facinoribus immunes.
puri atque integri esse debeant. tamen propter amministracionem rerum
familiarum. et coniugiorum artissima uincula tam multa peccant
ut non tam de isto mundo puluere aspergi. quam luto obliniri uide
antur. hoc est quod eis apostolus dicit; iam quidem omnino delictum est. quia
iudicia habetis uobiscum. Quare non magis iniquitatem patimini.
Quare non potius fraudamini. Nam illud execrabile est. quod
propter quosdam attendit. et dicit. sed uos iniquitatem facitis. et fraudatis.
et hoc fratres. Exceptis tamen iniquitatibus et fraudibus hoc ipsum habere iudi
cia inter se. et lites de secularibus rebus delictum esse dicit. quod tamen ferendum esse
ammonet. si uel ecclesiastico iudicio lites huiuscemodi finiantur. Hinc
est etiam illud. Qui sine uxore est que sunt dei cogitat. quomodo pla
ceat deo. qui autem matrimonio coniunctus est cogitat ea que sunt
mundi. quomodo placeat uxori. Quod etiam de femina similiter notat.
uel illud cum ait. et iterum reuertimini in idipsum. ne uos temptet sata
nas propter intemperantiam uram. Quod ut peccatum esse demonstraret
sed infirmitati concessum. subiecit statim; hoc autem dico secundum ueniam.
non secundum imperium; sola enim generandi causa est inculpabilis
sexus utriusque commixtio. Quam multa sunt alia peccata. siue in lo
quendo de rebus et negociis alienis que non ad rem pertinent. siue in
uanis cachinnationibus cum scriptum sit. stultus in risu exaltat
uocem suam. Sapiens autem uix tacite ridebit. Siue in ipsis es
cis que ad necessitatem sustentande huius uite preparantur. auidior